quovis modo videre poteram; cum multo autem timore circuivi et reversus per nova iam facta vestigia ad loca, ubi antiqua videram, ut diligentius ea observarem, sed non inveni et infremui in me ipsum gravissime arguens de curiositate et de praesumtione et non longe aberat, quin mihi ipsi prae tristitia barbam evulsissem, faciem caecidissem, pectus durius verberassem, o, inquiens, heu me miserum, cur dereliqui socios meos! qua temeritate in hac terra invia et horribili recessi a fratribus! ubi eos putas inveniam? ad quam plagam pergam? Ecce, sol in occasum jamjam mergitur et tenebrae subsequuntur et ego jam non Felix, sed infelicissimus, quo ibo, quo curram? O Deus meus adjuva me! Et haec dicens subito prorupi in ultimum psalmum de VII. poenitentibus: Domine exaudi. Et orationem pulchram et efficacem in eo reperi. Processi ergo in incertum cum illo psalmo et saepe eum repetii et tandem ad unum altum arenarum cumulum veni, in ejus latere antiqua mea vestigia inveni; quae si libuisset, libenter deosculatus fuissem prae gaudio. Numquam me ipsum cum tanto gaudio intuitus sum, sicut in his vestigiis. Dum autem laetus imitarer et sequerer vestigia, incidit mihi, quod forte essent vestigia alicujus Arabis, et coepi dubitare, quod non tenderent ad plagam, a qua processi. In hac ambiguitate diligentius imitabar vestigia et vidi, ea esse calceati hominis, Arabes autem nudis pedibus per desertum currunt et iterum consolatus processi et a longe vidi aliquid album et putavi esse tres Sarracenos vel Arabes, qui omnes albis linteamentis induuntur, sed dum propius venissem, erant nostra tentoria, contra quae genibus flexis Deum laudavi et numquam amplius societatem derelinquere proposui. Inveni autem duos peregrinos coenantes sub tentoriis, ad quos dum ingressus fuissem, arguebant me de tarditate veniendi ad coenam dicentes, se diu me exspectasse. Quibus respondi, me occupatum fuisse. Et post coenam eduxi eos foras et montem eis ostendi et, quae mihi acciderant, retuli et mirabantur, me tam cito revenisse. Cum hoc sol occidit et locavimus nos ad dormiendum unusquisque in lectulum suum.

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;